

10
I. N. S. 7.
DISSERTATIO GRADUALIS,
DE

MIRACULIS

QUAM,

Venia Ampliff. Facult. Philosoph. in Illustri

Academia Aboënsi,

PRÆSIDE,

MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO VIRO

D^N. I S A A C O

R O S S,

S. S. L. L. PROFESS. REG. & ORD.

FAC. PHIL. H. T. DECANO.

Publice ventilandam sistit

BOGISLAUS B. HORNBERG,

WIBURGENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XII. DEC.

ANNI MDCCLIX.

H. P. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,

J. C. Mag. Cytra

S:Æ C:Æ

POTENTISSIMÆ RUSSORUM
IMPERATRICIS

MAXIMÆ, MAGNÆ atque SPECTATÆ
FIDEI VIRIS

COLLIGII, QUOD A JUSTITIA NOMEN
SORTITUR

VICARIO PRÆSIDI
PERILLUSTRI

itemque

CONSILIARIIS, ADSESSORIBUS

atque

SECRETARIIS

GENEROSISSIMIS, NOBILISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS, MÆCENATIBUS & PA-
TRONIS GRATIOSISSIMIS
BENIGNISSIMIS.

AD Vestra, Mæcenates atque Patroni,
præcella limina, quum aditum sibi quæ-
rit incultior musa, inter spem metumque
fluctuat. Veretur enim, ne in censoriam
incurrat notam, quum Vos interpellare su-
stineat, qui tot tantisque pro Divæ in no-
stris oris Justitiæ sanctiori cultu in singulos
dies distringimini curis. Tremit incomtam se
Vobis sistens, quorum omnia negotia, ut
consummatissima, Patria veneratur & pleno
ore extollit. Metum vero minuit & calcar
ad hoc, quidquid est consilii, capiendum
addidit non solum inusitata Vestra erga li-
terarum cultores gratia, sed etjam singularis
ille favor, quo Parentem meum charissimum
dignati fuistis. Adspiciatis igitur placido
sævientique vultu ad eandem gratiæ Vestræ
aram confugientem filium, atque pagellis

hiscæ

hisce a Splendidis Vestris Nominibus aliquid
lucis accedere patiamini. Pro Vestra inco-
lunitate perenni Supremum Numen arden-
tissimis precibus fatigare nunquam intermit-
tam

PERILLUSTRIMUM GENEROSISSIMORUM
NOBILISSIMORUM CONSULTISSIMO-
RUMQUE NONINUM VESTRORUM

cultor devotissimus

BOGISLAUS HORNBERG.

VIRO Maxime Venerando atque Praclarissimo
D: no **BOGISLAO HORNBERG,**
Eccles. Jachimvaræ Pastori & vicini contractus Præposito Vigilantissimo nec
non Primario Conf. Wib. Adfessori longe Meritissimo
Parenti Indulgentissimo,

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
D: no **GEORGIO HORNBERG,**
Pastori in Carcku & Suoniemi longe Meritissimo

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
D: no **PETRO HORNBERG,**
Pastori Reg. P. Biörn. adcuratissimo vigilantissimo

PATRUIS SUMMA ANIMI VENERATIONE SEMPER COLENDIS

Tibi Optime Parens, prouti primitias, ita etiam paulo uberiores profectuum meorum fructus consecratos cupio. Non enim unico nec duplici sed plane multiplici nomine in are Tuo sum, quamobrem nec uscum venerationis & obsequii testimonium sufficit. Accipe igitur, humillimus quaeso, benigne hanc dissertatiunculam, ceu gratitudinis nunquam immorituræ tesseram. Et quemadmodum salutis meæ omnis hucusque unus post DEUM tuisi Auctor & Promotor, ita etiam post hæc spes meas Tibi commendatas habeas, cernuus imploro.

Probe memor beneficiorum, quibus me nullo non tempore Patru æstumatissimi cumulastis, cum nil aliud offerre valeat meatevitas, hæc pagellas Vobis consecrare jubet pietas religioque. Faxit Deus, ut quam divitissime Pater amantissime Patruque honoratissimi sc̄pites & salvi vivatis, vigeatis floreatis, sic optat & semper optabit

NOMINUM VESTRORUM

Admodum & Plurimum Reverendorum

filius & cultorobedientissimus
humillimus

BOGISLAUS HORNBERG.

Dem Großachtbaren und Vornehmen Kauffman in
Wiborg

Herrn HANS SACHLS,
Geneigtem Dheim

wie auch

Dem Großachtbaren und Vornehmen Fabriquier in
St. Petersburg

Herrn OCTAVIO B. GORTZEN,
Meinem Lieben Schwager.

So grosse, die uns der warheit der Christlichen Religion satzsam über-
führen, die Wunderwerke sind, welche die Propheten und unser
Erlöser, samt denen Aposteln, zur Bestätigung unsers Glaubens gethan
haben; Eben so ungeschert werden dieselbe von denen Irgeistern unsrer
Zeit, leider! bestritten und angefochten: Das sind solche Leute, die
die ganze Göttliche offenbarung beiseiten setzen und nichts anders, in der
Christlichen Glaubens Lehre, annehmen wollen, als was sie sich einbil-
den, mit dero Vernunft zu begreifen können. Sie rühmen sich wohl
und schwagen viel von der Stärke ihren Verstandes; aber gar indessen
verrathen dieselbe, die erbarmens würdige Schwachheit derselben.

In der gegenwärtigen sabbhandlung darthue ich, wie die Wunderwerke,
in ansehung ihrer natur, sollen, wieder der gleichen Spötter, insgemein
beobachtet und vertheidiget werden. Diese aber meine arbeit habe
Ew: großachtbaren ich zueignen wollen; und es zwar Vieler ursachen
wegen: denn zum ersten liegt mir im steten Andencken, die Anverwant-
schaft, wodurch Dero unschatzbare gewogenheit, beiderseits gegen mich,
immer bestätiget und Vermehret wird; Ew: Großachtbaren haben auch zu-
gleich, mit dero Gutthaten mich vielmahl Sich verbunden, so daß ich itzo
über diese gelägenheit, auf die, ich lange zeit gewartet, mich hertzlich er-
freue, bei welcher Vor allem güttes dank abstatthen möchte. Im übrigen
schätze mich für glücklich, in dero gewogenheit empfohlen zu seyn, und
dargegen werde lebens lang mit hochachtung zu seyn trachten

Ew. Großachtbaren
Dero

ergebenster diener
BOGISLAUS HORNBORG.

I. N. S. 7.

§. I.

ENs illud supremum, quod Dei nomine veneramus, infinita instructum esse potentia, qua omnibus substantiis, quas intellectus Ejus infinitus repræsentat, ut possibiles, existentiam largiri valet, facile & a priori & a posteriori demonstratur. Nam sicut innumera argumenta ostendunt, Deum esse ens absolute perfectum; ita necesse est, ut ipsi tribuamus infinitam potentiam. Ens enim esse perfectissimum, simul vero infinita carere potentia, summam infert contradictionem. Nec minori luce hæc veritas deducitur a posteriori. Res quippe in hoc universo existentes, quotquot præter Deum dantur, sunt finitæ atque contingentes. Has vero rationem existentia suæ sufficientem non agnoscere posse in essentia, nec in vi quadam finita ab essentia illarum separata, nedum in nihilo, statuit, qui repugnantia

tia proferre non sustinet. Quod cum ita sit, nil superest, quam ut eandem rationem in Deo ente absolute necessario, & quidem in liberrima Ejus voluntate quæramus. At quoniam omnes res mundanæ prius erant mere possibiles, quam voluntas Divina easdem in theatrum existentium prodire jussit, sequitur, Deo competere potentiam; hæc enim est illa perfectio, qua possibilibus existentia confertur. Quoniam vero hæc res ejusmodi sunt effectus, qui nullis finitis viribus præstari queunt, facile apparet infinitam in Deo dari potentiam. Nec est quod objicias, ex mundo infinitam Dei potentiam non patescere, quoniam omnia possibilis actualitate non sunt donata. Concedimus omne possibile non existere, tantum tamen abest, ut id demonstret defectum potentiæ Divinæ, ut potius eandem esse absolute perfectam confirmet. Nam quemadmodum singulæ substantiæ mere possibiles infinitas expostulant vires priusquam existere possunt, ita, qui unam substantiam e nihilo producere valet, non potest non esse par omnibus. Unde clarissimum est, ad manifestandam potentiæ Divinæ infinitudinem, opus non esse, ut omnes substantiæ creabiles sint creatæ.

§. II.

Sapientiam Divinam & per consequens absolutam Ejus perfectionem inficiaretur, qui Deum creatione hujus universi finem Majestati suæ convenientem non intendisse, contenderet. Datur ergo
 finis

finis creationis, isque, ut Deo dignus reputetur, primario absolvi manifestatione perfectionum Divinarum, & secundo felicitate creaturarum merito censetur. Nam sicut perfectiones Divinæ ceteras res bonitate intrinseca antecellunt; sic manifestum est, Deum voluntate sua perfectissima non posse non primario velle inter omnes fines illum, qui ipsius perfectiones infinitas respicit. At cum Deus ob infinitam suam perfectionem sibi ipsi sit sufficientissimus, ideoque nullum incrementum perfectionis cujusdam admittat, nil est reliqui, nisi ut intenderet perfectiones suas manifestare creatis ratione præditis. Cumque inter perfectiones Divinas, quas manifestandas vult, etiam sit bonitas Ejus respectiva, quæ est studium intensissimum omnibus creaturis conferendi omnia bona, quorum capaces sunt, patet etiam velle felicitatem creaturarum. Sunt quidem plurimi recentiorum, qui variis speciem veri mentientibus argumentis conentur ostendere, quod finis creationis non sit manifestatio gloriæ ipsius, verum potius felicitas creaturarum, cum prior videatur Deum facere reum gloriæ cupidinis, quam vitiosam esse arbitrantur. At non perpendunt, quod Deus, ens perfectissimum intendendo gloriam suam, nil sibi aliud vindicet, quam quod ipsi per essentiam competit, itaque nec Deum dedecet manifestationem perfectionum suarum velle.

§. III.

Quandoquidem finis sine mediis eidem proportiona-

B

na.

natis obtineri nequit, sequitur Sapientissimum mundi Conditorum, intendendo finem optimum, media etiam optima elegisse & produxisse. Estque hæc ratio, cur omnes res creatæ in mundo, utpote media finibus Divinis inservitura, non solum ornatae sint præstantissimis proprietatibus, verum etiam completim sumtae, adeo sint harmonicae, ut prior sit medium obtinendæ posterioris, tendentes ita gradatim via brevissima ad finem ultimum obtinendum. Quamdiu igitur Deus mediis hisce naturalibus fines obtinere potest intentos, tamdiu neque censendus est transire ordinem a se sapientissime constitutum. Nam præterquam quod in sapientissimum non cadant frustranei actus & animus ventosus, via naturalis amplissima quoque præbet omniscientiæ, sapientiæ, Bonitatis, Justitiæ atque potentiæ argumenta. At sicut non repugnat medium aliquod, licet absolute & in se spectatum sufficiens sit, in relatione tamen ad has vel illas intervenientes condiciones fieri insufficientis; ita hinc perspicuum est, res etiam creatas positas quibusdam circumstantiis, posse subire talem mutationem, quamvis admittatur, in se & secundum dotes in creatione acceptas fuisse media sufficientissima obtinendis finibus Divinis. Immo præstantissimo, omnium visibilium, homini, id contigisse quotidiana prohi dolor! convincimur experientia. Quis enim nostrum sese non deprehendit prorsus inhabilem ad promovendum finem creationis? Qui vel tantillum hac de re dubitat, attendat ad obligationem
 lege

lege naturali sibi injunctam, & reperiet se aliosque omnes, nemine excepto, in Deo colendo & sui atque aliorum felicitate procuranda, defectu cognitionis necessariæ, voluntatis & virium laborare. Convictus hac de veritate, simul perspiciet pœnam extensive infinitam non posse non, vi justitiæ Divinæ, manere omnes, qui obligationi legis naturalis non satisfaciunt. Immo accuratius rem perpendens, debrehendet, eandem hanc pœnam evitari non posse, nisi interveniat medium, quod efficit, ut Deus, salvis suis perfectionibus, transgressoribus legis suæ adeo favens reddatur, ut si ipsi non resistent, eos in felicitatem, cui destinati fuerant in creatione, disponat, quodque finem Dei ultimum melius manifestet, quam si peccatores pœnam luerent æviternam, quin & tale revera existere, non sine verisimilitudine, colligit ratio, qua de re in Metaph. fusius disputatur. Cum vero illa sibi relicta, quantumcunque licet exulta, medii illius reconciliationis qualitates & circumstantias scitu maxime necessarias non valet expiscare, concludit inde ad necessitatem & existentiam Revelationis cujdam Divinæ, de qua maxima cum probabilitate sibi persuadet, eam, medium illud continere. Ulteriori vero examini, rem hanc, scrutinio dignissimam, subjiciens facilis assentitur ratio, revelationem hanc certis instructam esse debere criteriis, quibus a quacunque spuria dignoscatur. Inter quæ non ultimo loco ponit miracula, quorum naturam in sequentibus breviter, & quantum

temporis permittit angustia explicare. Tuo Cand.
L. favore freti, constituimus.

TRACTATIO.

§. IV.

Neminem, qui scripta auctorum salutaverit latere potest, vocem miraculi a variis varie sumi. Ita res, quæ laborant partium deitarum vel excessu vel defectu, quæ monstra alioquin vocantur, varroni miracula audiunt (a) Vulgus unacum quam plurimis eruditis effectus rariores & insolitos, quorum causas naturales ignoramus, miracula appellat. Quibusdam artificiosissima structura miraculum est, quo sensu etiam homo a Philosophis miraculum miraculorum vocatur. Hæ vero acceptiones ut improprie sunt; ita ad nostrum institutum non pertinent. Intelligimus itaque per miracula ejusmodi effectus, qui in rerum creatarum essentia & viribus operandi rationem non agnoscunt sufficientem. Et quandoquidem a rebus creatis si discesseris, solus remanet Deus, patet miraculorum, si quæ existunt, vel existitura sunt, causam immediatam Ipsum esse. Stultum enim foret pronunciare miracula posse oriri ex nihilo seu causa efficiente. Clarissimum hinc est, 1:0 miracula non fieri secundum regulas, quas sequuntur spiritus finiti aut corpora, dum operantur. Nam posito hoc non amplius forent miracula: unde patet leges hæc suspendi, existentibus miraculis, si enim una agerent, effectus sane in quantum pendet a causa sua naturali non foret miraculosus. Præterea & illud 2:0 requirimus, ut sint rariora. Nam si eorum

rum officium est novitate animos mortalium percellere, & communem naturæ ordinem suspendere, utique rariora esse debent, ne sæpius repetita vilescant & sine suo excidant. Porro in miraculis necessaria censetur evidentia, ut facta sensibus oblata & in conspectu posita evidenter ab hominibus percipiantur. Secus enim si res se habeat, impossibile esset vera miracula ab imposturis hominum dignoscere. Tandem existant ob finem quendam gravissimum, qui mediis naturalibus obtineri non potest, cum cererocuin Deus ageret frustra, quod cogitatu est nefas.

(a) Libr. VI. de causis. Ling. Lat.

§. V.

Hisce jam præmissis, ad demonstrandam miraculorum possibilitatem nosmet accingimus, qua de re nemo unquam dubitavit, qui genuinam tenet possibilis ideam. Ut vero distincte hoc in negotio procedamus, ex Metaphysica meminisse juvabit, possibilitatem dividi vel in internam vel externam. Illa absolvitur non repugnantia idearum partialium totalem ingredientium, ad hanc vero determinandam, demonstrandum est, rei non repugnare existentiam respectu circumstantiarum externarum, inter quas maximi momenti sunt, ut causa efficiens & possit & velit, quod intrinsece possibile est, ad existentiam perducere. Utraque possibilitas miraculorum, nobis jam demonstranda est. Quod itaque miracula intrinsece sint possible, inde clarum est, quoniam omnes

res in mundo obviæ & qua constitutionem & qua consecutionem sunt contingentes. Quidquid vero est contingens, illius oppositum non est impossibile, consequenter non repugnat dari res, quæ in rerum creaturarum essentia & viribus operandi rationem non agnoscunt sufficientem: hujusmodi autem eventus cum vocentur miracula (§. 4; sequitur illis intrinsecam competere possibilitatem. Quandoquidem vero omne possibile est objectum potentia Divinæ §. I. sequitur, quod Deus possit producere miracula, præcipue cum leges physico mechanicæ & logico morales, quas sequuntur corpora & spiritus non sunt absolute necessaria, Nec putandum sapientia Divinæ repugnare, si Deus ab ordine a semet sapientissime constituto aliquando discedat: aut vis ulla inesset objectioni: res quidem in prima creatione esse libere productas, jam vero postquam semel creatæ sunt, non posse non hoc vel illo modo ex necessitate existere, adeo ut eapropter miracula locum habere non possint. Non negamus argumentum, in quantum aliquas res, vi decreti Divini, positis his vel illis conditionibus, immutabiles manere certum est; id vero cum de omnibus affirmari nequeat, universalitas assertionis hoc ipso destruitur, potuitque Deus cursum quarundam rerum naturalem & motum ordinarium ab æterno suspendere ob gravissimas & maxime necessarias causas decrevisse.

Quod autem Deus velit hæc patrare inde colligendum, si ratio suppetat, ostendens res creatas

tas ob intervenientes quasdam conditiones impares esse redditas promovendo fini creationis. Nam sicut Deus est ens perfectissimum, ita non potest non serio velle finem a Se intentum; posita vero jam insufficientia mediorum primitus creatorum, sine dubio eliget alia eundem procurantia, quæ in rerum creaturarum essentia rationem sui sufficientem habere non possunt. Nec hujusmodi positio quidquam derogat Majestati Divinæ. Dic enim sodes, utrum imperfectior sit imperans, qui gravissimis inductus rationibus leges a se semel positas suspendit, illo, qui statuta sua maxima exigente necessitate tollere nequit. Noli denique cogitare mutationem quandam Deo hac ratione inferri. Nam si Deus mundum creare potuerit sine mutatione simplicissimæ suæ essentiæ neque suspensio legum harum physico mechanicarum & logico Moralium immutabilitati ejus vim inferre possunt. Ex hisce vero non colliges Deum semper & nulla habita ratione ordinis & nexus sapientissime constituti miracula edere; absit, nam valet, quod §, 2. hac de re diximus.

§. VI.

EVieta sic possibilitate miraculorum, ordinis ratio svaedet, ut disquiramus utrum aliquando extiterint? Hæc vero cum sit quæstio facti, argumentationem a priori haud sufficere ad illam digne solvendam, non potest esse obscurum. Nec tamen negandum rationem sibi relictam, probabiliter

ter concludendo ad existentiam Divinæ cujusdam revelationis, postulare ut hæc si modo genuina erit, miraculis confirmetur. Quoniam enim ut ex Theologia Naturali constat; inter palmaria, revelationis requisita refert mysteria, homines vero, experientia teste fidem denegant veritatibus captum eorum exsuperantibus, nisi fortissima ad sint motiva, sudo serenoque cælo clarius elucet, Divinam Revelationem si finis ejus obtinendus erit hujusmodi motiva debere proferre. Horum vices miracula optime posse sustinere evidenter perspicit ratio, cum eadem a nemine præter Deum infinita potentia instructum universique Auctorem præstari possint. Quum vero sic miraculorum existentia determinetur per revelationis existentiam, quam non nisi probabiliter uti diximus asserit ratio, insufficiens est hæc argumentatio, quæ sola adhibeatur in solutione quæstionis propositæ. Præstat itaque scientiam factorum consulere. Sed cum consultius sit, aquis limpidissimis sitim restinguere, quam e lacubus & paludibus potare, ea eligenda historia est, quæ ceteris fide atque certitudine superat, qualis est, quam historiæ sacræ nomine insignire solemus. Quæ enim unquam postulari fidei & certitudinis requisita possunt, illa omnia exactissime in hanc conspirant, quod demonstratu non minus jucundum, quam haud difficile foret, modo proposita brevitatis, in re dudum & sapius luculentissime exposita, prolixitatem pateretur.

§. VII.

EX plurimis miraculis, quæ in S. S. commemorantur, nonnulla jam proferenda sunt, quæ sufficientissime ob omnium oculos ponunt effectus supernaturales revera olim existisse. Horum e numero omnium primo attentioni nostræ obveniunt, diluvium illud universale, tempore Noachi factum (a) nec non everfio Sodomæ & Gomorhæ (b), quorum memoria etiam penes scriptores profanos est servata. Hæc excipiunt miracula patrata intra fines Ægypti, per Mosen, qui fuit *Θυναπὲς ἐν λόγοις καὶ ἐνεργείαις* (c); qualia fuerunt sequentia, Baculus Aaronis in serpentem conversus (d); nec non decem pœnæ; quas Deus a Pharaone, Israëlitarum causa, per Mosen sumfit, plagarum nomine vulgo notæ (e) quæque his continentur versibus.

Prima rubens unda; ranarum plaga secunda: Inde culex tristis: post musca nocentior istis: Quinta pecus stravit: sed & sexta ulcera creavit: post sequitur grando: mox bruchus dente nefando nona tegit solem: primam necat ultima prolem (f).

Hisce productis, populum servitute oppressum virtute Divina ex Ægypto per mare rubrum eduxit, cuius undas muri instar, utrinque consistere fecit (g). Fuitque exitus hic ex Ægypto atque transitus per mare rubrum adeo memorabilis, ut solus, gentis dogmatumq; famam valeret latissime diutissimeque dispergere (h) Sub XL. annorum in deserto peregrinatione varia etiam miracula patrata sunt; e quibus annotasse sufficiat Columnam nubis & ignis Israëliticis viam monstrantem

tem (i) Manneam pluviam in deserto (k) [¶]Aquas e saxo durissimo salientes (l). Quid dicam de terrore finitimorum, hostiumque cum Israëlitis confligentium strage passim memorata, planeque miraculosa. Ulterius quis non referat farinam viduæ Sareptanæ & oleum inconsumptum, filiique ejus revocationem a mortuis (m) inter miracula? sanatio Leprosi Naamanis Syri per aquas Jordanis quemadmodum etiam alia Elisæ miracula (n) Divinam virtutem designant. Quid loquemur de miraculo isto splendidissimo, quo umbra solis retroagebatur (o)? profecto tanto magis hoc observandum est, quo certius per orbem universale fuerit; & ab omnibus observari potuerit nationibus, uti hoc patet exemplo Babylonicorum (p). Nec silentio prætereunda est clades Assyriorum, tempore Hirschæ vere miraculosa (q). Similiter Divinam agnoscimus virtutem, in conservatione trium virorum in fornace Babylonica, flagrantissimis ignibus ardente (r). Quid denique dicendum, alia bene multa ut prætereamus, de operibus Sanct. N. Salvatoris, Ejusque Apostolorum. Annon vera & realis miraculorum existentia satis est probata, quando τυφλοί αναβλέπουσι καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσιν, καὶ κωφοὶ ἐλαλοῦνται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται (s).

(a) Gen. 7. (b) ibid. XIX. (c) Act. 7: 22. (d) Exod. 7: 10, 12. (e) Ibid. 7: 20. Cap. 8. C. 9. C. 10. C. 11. (f) Freigerus in Mosaicis p. 20. (g) Exod. 14. (h) Jos. 2: 9. seqq. Cap. 9: 24. 1. Sam. IV: 8. VI. 6. (i) Exod. XIV. 20. (k) Exod. XVI. 13. 14. (l) Exod. 17: 4, 5, 6. (m) 1. Reg. 17. (n) 2. Reg. 5. & 6. (o) Esai.

Esai. XXXVIII, 8. 2. Reg. XX. 7. (p) 2 Paral. XXXII. 2.
 (q) 2. Reg. XI. 35. (r) Dan. III. (f) Math. XI: 5.

§. VIII.

Nec tamen putandum, quod, dum in demon-
 stranda miraculorum existentia, Auctoritate S:ræ S:ræ
 nitimur, aliorum Auctorum careamus testimoniis;
 nam ostendi facillime potest quam plurimorum ex me-
 moratis mentionem fieri in scriptis profanis. Quibus
 non leve accedit pondus, quod hostes etjam infen-
 sissimi: Judeorum & Christianæ Religionis tanta eve-
 nisse facta narrent, prouti hoc *Eusebius*, *Huetius*,
Grotius, alique post illos fere innumeri abunde de-
 monstrarunt. Et posito, quod quidam antiquiorum
 Philosophorum & Historicorum aut non comme-
 morent miracula, aut eadem existisse negent; hoc
 tamen nil valet, nisi rationibus evidentissimis & o-
 mni exceptione majoribus horum mancipatus au-
 ctoritati ostensum eat illos & potuisse & voluisse ve-
 ra proferre, reliquos vero deceptos esse vel stu-
 piditate, vel vi imaginationis five phantasiæ, aut vitio
 cerebri, quod tamen illum nunquam præstiturum
 fore, omnia naturalistarum irrita hac in re conami-
 na loquuntur. Præterea, qui vel fugitivo oculo Ju-
 dæos considerat, aliis de cetero non sapientiores,
 immo cum multis ne conferendos quidem, simul-
 que perpendit eos nihilominus veram & genuinam
 Deum colendi rationem cognovisse, miraculorum e-
 xistentiam admittat, necesse est. Nam quemadmo-
 dum sine ratione non potuit fieri ut reliquos in

cognitione myſteriorum & cultus Divini antecelle-
 rent, ita nullum eſt dubium, quin per miracula com-
 moti fuerint ad recipiendam doctrinam ſibi traditam,
 ut vere Divinam, horum autem veritatem ipſi, vel
 propriis oculis aſpexerint, vel testimoniis aſſenſum
 extorquentibus, cognoverint. Demostrent de cætero,
 gentiles non potuisse pervenire in cognitionem fa-
 ctorum, quæ in sacra scriptura memorantur. Profe-
 cto hoc nunquam præſtare poſſunt. Annon peregrina-
 tiones variæ Patriarcharum gentisque Iſraeliticæ
 iter & longior in Ægypto commoratio, bella, fæde-
 ra, aliaque negotia cum exteris, longior in deserto
 peregrinatio, situs terræ Canaan, Salomonis ſapient-
 tiſſimum regimen, captivitas Aſſyriaca & Babylo-
 nica, Prophetarum cum finitimis negotia; Commer-
 cia cum Perſis atque Græcis, nec non bella cum
 Romanis, tot fuerunt ampliffimæ occaſiones, quibus
 notitiam religionis Judaicæ aliqualem falſim ſibi com-
 parare potuerunt gentiles. Nec eſt, quod dicas: at-
 tamen Judæi doctrinam Chriſti Apoſtolorumque mi-
 raculis confirmatam repudiarunt. Non negabant o-
 pera Chriſti, verum calumniati ſunt ſalvatorem eadem
 præſtitiffe vel artemagica & ope Dæmonum, (a) vel, uti
 Rabbini ſomniant, virtute nominis Divini clam ſur-
 repti. His vero convitiis locus non fuiſſet, ſi modo
 perpendere voluiſent criteria, quibus præſtigia di-
 gnoſci poſſunt a veris miraculis. - Tot enim & tam
 illuſtria ſunt, quæ JEſus noſter perfecit - - miranda
 opera, ut nullius falſi Doctoris virtute perfici un-
 quam potuerint. Id enim omni ſtudio egit ille mira-
 culis

culis suis, ut inanium Deorum cultum everteret, conatusque & potestatem malorum geniorum infirmaret, quod a consiliis & studiis impiæ religionis Auctorum svasorumque quam maxime abhorret. Denique eum in finem miracula egit, ut homines a spirituali sua miseria liberaret; eorumque animos tum vera sapientia excultas, tum ad virtutem pietatemque exercitatas redderet, uti elegantissime loquitur *Celeb. Cockerus* (b). Idem quoque valet de Apostolorum aliorumque miraculis a spuriiis quibusdam dignoscendis. Alia criteria passim ab Auctoribus allata, silentio præterimus.

(a) Matth. XI. 34. Ibid. XII. 34. Marc. III. 22. Luc II. 15. (b) in annot. ad Grot. Libr. de verit. Christ. Relig. p. 450.

§. IX.

Reperti sunt tamen, immo, quod deplorandum est, nostra etiam ætate dantur, qui stupendos illos effectus supranaturales, quorum meminit Sacer Codex ad causas naturales, nobis licet incognitas, referant, eque numero miraculorum eximant. Hanc sententiam Ben. Spinozam approbasse patet ex definitione ejus miraculi: quod dicit esse *Opus nature, quod captum hominum superat; aut superare creditur.* (a). Huic etiam qua conceptum formalem succinere videtur Malebranchius, dum asserit miracula esse effectus procedentes a legibus generalibus, quas naturaliter non cognoscimus, (b) alios ut taceamus.

Hinc plurimi conati sunt causas Physicas tradere e. g. diluvii, fingentes illud ortum esse ex cometa quodam magno, qui globo terraqueo justo prior accessit. Idem alii præstare annisi sunt circa explanationem everisionis Sodomæ atque Gomorhæ. Nonnulli dicunt favillam in aëre sparsam nocentissima scabie Ægyptios infecisse. Quidam in æstu maris reciproco inveniunt causam, cur Israelitæ transire potuerint mare rubrum. Ventum orientalem, magnam illam copiam locustarum Ægyptiis attulisse alii dicunt. Nonnullis calor Eliæ nativus sufficiens est ratio, cur Filius viduæ Saraptanæ vitam denuo accipere potuerit. Tandem ut ceteras ejusmodi explanationes omittamus, quidam asserunt Salvatorem luto quodam & aquis piscinæ Siloæ visum restituisse cæco ex utero matris. Sed quis tam obtusæ esset mentis, ut hujusmodi rationibus acquiescere posset? Annon ipsæ illæ anfractuosæ & experientiæ repugnantes explanationes satis superque causam illorum suspectam reddunt? Cur non etjam hodie tales effectus conspiciuntur, iisdem causis naturalibus existentibus? quænam fuit ratio, cur primitus a tantum non omnibus, etjam judicio & scientia instructis, habiti sunt pro effectibus supernaturalibus? Demonstrant causas naturales illorum miraculorum, quæ edita sunt ad preces piorum. Si unquam certe hæc in re aqua ipsis hæret, adducant causam Physicam resurrectionis Salvatoris a mortuis. Eclipseos solis facta tempore passionis ejusdem &c. Neque illud ipsis patrocinator, quod legimus Deum aliquando in

patran.

patrandis miraculis liberrime usum fuisse rebus naturalibus instrumenti loco. Nam quo pacto inde exsculpere possunt effectus supernaturales tum ortos, illis capropter esse adscribendos? Præterea non negamus Angelos, quos S. S. affirmat existere, magna potentia multiplicique cognitione esse instructos, inde tamen non sequitur, quod miracula edere possint. Nam omnes eorundem vires sunt finitæ & limitatæ. Frustra etjam esset, si diceres illos miracula posse patrare ex singulari permissione Divina. Nam si hoc affirmatur de malis. DEUS sibi ipsi esset contrarius, si vero de bonis, honos Deo soli competat necesse est, cum non ex propriis viribus miracula fecerint.

(a) Tract. Theol. pol. de Libert. Philos. Cap. IV p. 72. (b) Colleg. Metaphys. 12. p. 490.

§. X.

Antea circa finem §. III. & §. V. annotavimus; rationem referre miracula inter criteria Divinæ Revelationis, qua sibi in hocce statu corrupto opus esse intelligit. Sed cornua nobis hac in re obvertit Tindalius famosissimus ille Anglus ob naturalismum, dicens miracula frustra requiri, cum vera Religio internis veritatis suæ criteriis gaudere debeat. (a) Largimur Religioni Revelatæ italia competere criteria, quatenus nempe & medium tradit reconciliationis sufficiens, omnia attributa Divina illustrans, & vi gaudet intellectum convincendi & voluntatem flectendi ad appetenda, quæ

quæ Divinis perfectionibus sunt conformia. Hinc tamen non existimandum sequi consequentiam Tindalii. Nam præterquam quod unius positio non statim sit alterius exclusio, etiam id observandum est, quod hæc vis sese non prius exferat, quam in genuina praxi istius religionis. Quod cum ita sit, patet opus fuisse externo quodam criterio, quo homines simul impellerentur, ad investigandum modum ibidem patet factum applicata ista religio interna illa habeat criteria nec est, quod dicas, DEum permittere homines a falsis prophetis per prodigia tentari. Nam ut supra. §. VIII. diximus, falsa prodigia semper tendunt ad proponenda dogmata Divinis oraculis contraria, unde quisq; sana ratione gaudens facile potest perspicere, quod referant stygios fœtores. Permisit DEus Simonem e.g. Magum congregari cum Apostolis, Diabolumque cum Salvatore, ut durities & crudelitas infidelium eo citius mollesceret, & vera miracula a mirabilibus distinguerentur. Non tamen semper permittit, quemadmodum illud constat exemplo Magorum Ægyptiacorum, quorum vim DEus inhibuit, cum imitarentur tertiam plagam Ægypti, ne animalcula illa, licet vilissima, producerent, ut eo melius Dæmoni ipsi & instrumentis ejus illuderet, de sua potentia jactantibus, suamque omnipotentiam palam faceret.

(a) In Christianismo Cap. XII. p. 327.

§. XI.

Cum miracula varie a variis distingvantur, non alie-

alienum erit præcipuas divisiones miraculorum attingere.

Thomas miracula in tres gradus dividit. Summum inquit gradum inter miracula tenent, in quibus aliquid fit a DEO, quod natura nunquam facere potest, ut quod sol retrocedit & stat, & mare divisum transeuntibus iter præbet. -- Secundum gradum tenent in miraculis illa, in quibus DEUS aliquid facit, quod natura facere potest, sed non per illum ordinem opus naturæ est, quod animal vivit, videt, ambulat, sed post mortem & privationem potentiæ naturaliter non potest reviviscere, videre & ambulare. Tertius gradus miraculorum est, quum DEUS facit, quod consuetum est fieri operatione naturæ, tamen absque principiis naturæ operantibus, ut cum pluit sine operatione principiorum naturæ. (a) Alii miracula in majora & minora distinguunt, non respectu DEI, cum omnia Ei sint æque facilia, verum ratione effectus, nempe prouti ille vel in pluribus, vel paucioribus naturæ vires transcendit. Similiter multitudo & sublimitas finium sapientia Divina intendorum, miracula exaggerat, non quidem respectu habito ad sapientiam Divinam, sed quia hoc vel illud miraculum magis minusve eandem manifestare videtur (b) Danhaverus miracula distingvit in negativa & positiva. Illa vocat, quibus vis naturalis & congenita inhibetur. Hæc vero quæ per Revelationem ad novam virtutem fiunt. (c) Præterea miracula passim dividuntur in mediata, quæ a DEO

per aliquod instrumentum eduntur, & immediata, quæ ipse DEUS *αμίσως* producit, amborum exempla S:ra. S:ra. suppeditat. Tandem & nonnulli dividunt miracula in ea, quæ accidunt vel in regno naturæ, vel in regno gratiæ: illa exsuperant vires naturæ: hæc sunt, quæ gratiæ ordinarias vires ordinemque excedunt.

(a) Libr. III. cont. gent. Cap. 101. I. part. I. quæst. Cap. V. Art VIII. quæst. LX. (b) conf. Büf. dilud. Phil. Sect. 2. cap. V. §. 215. (c) Theol. Symb. de miraculis §. III.

§. XII.

SED ut properemus ad finem, pauca etiam dicenda sunt de miraculo restitutionis sive *απκαταστάσεως*, cujus meminit LEIBNITIUS in Theod. §. 249. Wenn inzwischen inquit die Verwandlung des Wassers in Wein zu Cana ein Wunder von der vornehmsten Art gewesen wäre, so würde Gott hierdurch wegen der Verbindung der Körper, den ganzen Lauff der Welt geändert haben, oder genöthiget worden seyn, diese Verbindung ebenfalls auf wunderbare Weise zu hindern, * * * und nach dieser geschehenen Wunder würde er alle Dinge in den Körpern, die selbst mit interessiret gewesen, wieder in den Stand haben setzen müssen, in welchen sie ohne das Wunder-Werck würden gekommen seyn; hierauf wäre endlich alles wieder in seinen ersten Gang gerathen. Also erforderte dieses Wunder-Werck mehr als es scheint. Hicce fere paria habet WOLFIIUS in Methaph. sua Germ. §. 639. contendens, quemadmodum Cel. BAUMESTERUS in Metaph. §. 466. recte observat, alios eventus facto miraculo contingere, quam secuti fuissent, si miraculum patratum non fuisset, quum per miraculum ordo & nexus naturalis turbetur. Putat itaque novo miraculo, quod appellat restitutionis, nexum naturalem iterum restituendum esse, si, ubi

ubi DEus per miraculum finem suum consecutus fuit, vel sit res in eum statum, in quem venturæ fuissent sine miraculo, devenire. At nisi nos omnia fallunt, existimamus, non opus esse, ut hujus modi statuatur miraculum. Nam quid obstat, quo minus admitti possit, vim corporum & spirituum naturalem, existentibus miraculis, non aboleri, sed tantummodo suspendi & sisti, cur itaque, cessante extraordinaria virtute Divina eandem inhibente, non suæ naturæ convenienter rursus operari possent? Qui aliorum placita hac de re scire avertat Bülf. Dilucid. ph. p. 211. seqq.

§. XIII.

Colophonem imposituri dissertationi nostræ non injucundum erit, sententias eruditorum paucis affere de quaestione *Utrum miracula etiam hodiernum patrat summum Numen?* Affirmant alii sensibilia miracula etiam nostra ætate claruisse; alii rursum sufficere putant in propagatione & conservatione Religionis Christianæ talia apparere Providentiæ Divinæ atque vigilantia specimina, quæ a miraculorum indole prope absunt, ut novis non sit opus, (a) quibus etiam nosmet calculum qualemcumque addimus. Illud sane pro certo habemus, DEum miracula nova non patrare ad confirmandam Revelationem in scriptura contentam, post canonem clausum, cum ejusmodi nec opus, neque mandatum expectandi habeamus neque ad confirmationem necessaria sint, "habemus enim ante oculos miracula Moïsis, habemus miracula Christi, habemus Apostolorum miracula, ab iis literis monumentisque consignata testibus, de quorum fide & auctoritate, nemo sanus dubitare potest, iisque conjuncta factis ac eventis, quæ hodieque oculis quasi cernimus, manibus palpamus - - His igitur, qui non movetur miraculis, quorum veritas est exploratissima, eorum haud expugnabitur pertinacia, si vel sexcenta contingant alia. Sapienter itaque atque juste non solum agit DEus in-
dura-

duratis ejusmodi mentibus nulla objiens miracula; verum etiam valde misericordem, erga easdem sese præbet, quippe graviora olim & atraciora subituras poenas, si novis perinde ac veteribus miraculis nullam habituræ sint fidem." Verba sunt sæpius laudat. Köckeri L. C. Ad quæstionem vero an DEUS unquam miracula edidit ad convincendos Atheos, respondemus verbis Magni Verulamii DEUS nunquam edidit miraculum, quo converteretur Atheus, quia poterat ipse lumine naturæ ad notitiam perducere. (b) Id tamen non negamus Justitiæ Divinæ vim sese ostendisse effectu quodam miraculoso contra calumniatores impudentissimos DEi, Ejusque Ecclesiæ hostes. Nobis temporis angustia circum scriptis hæc lævissima in Argumento nobilissimo sufficiant, quæ desiderantur Lectori Benevolo & Erudito supplenda relinquitur. SOLI DEO παντοκράτορι & πανταγώνω sit Gloria nunquam terminanda.

(a) Köckerus J. c. p. 153. (b) Augment. scient. Libr. III, cap. 2.

